39

QVÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Iovis 1. Aprilis.

M. DIONYSIO PVYLON, Doctore Medico, Præſide.

An Thermæ Borbonienſes Anſelmienſes minorem noxam inferunt epotæ, quàm Arcimbaldicæ, & Vichienſes?

I.

QUÆCUNQUE hac rerum univerſitate continentur, ex igne & aquâ initium ducunt: ille formæ, hæc materiæ vicem gerit.[a] Ab aquâ divinitùs rerum omnium ſeminibus gravidâ ſingulæ partes totum hunc orbem conſtituentes prodière;earumque generatio&incrementũ perennitatem obtinent, prout ea ad diverſam ſeminum fabricam accedit, per varioſque adacta modos in multiplices concinnatur formas: modo nubem, pluviam, grandinem, gelu, glaciem refert; modo radicis, ligni & foliorum ſpeciem induit. Salix, pepo, cucurbita, mentha, meliſſa, pulegium, ſolâ aquæ diſtillatæ irrigatione in debitam molem adoleſcunt; poſtmodum ſal, ſulphur, mercurium, ſi igni ſubjiciantur ut artis eſt, ſuppeditant.[b] Naſcuntur fontes, deciſis plerumque ſylvis, quos arborum alimenta conſumebant. Piſces aquâ nutriuntur, ipſiuſque luxuriantis beneficio, magnitudine cœteris præcellunt animantibus. Terrenis non vehiculi tantùm eſt loco, ſed & in alimoniam cedit. Quæ de quorumdam immodicis jejuniis memoriæ prodita, non prodigio, ſed naturæ ordini meliùs adſcripſeris. Multis aqua ſola per aliquod tempus fuit alimento; quin imo, mutatâ quaſi indole, in aërem converſa quid non præſtat? Corpus ſubeundo, nonnullis aliquandiù pabulum ſuggeſſit; in aliis excrementi proventum aſſumpta longè ſuperantem induxit: ſic in quibuſdam, priorem aquæ naturam denuò induens, immenſam adeò urinæ copiam ſingulis diebus per plures menſes præbuit, ut Diabetem mentiri videretur. Aqua, diffluendo & excurrendo per varios locorum ſitus, quantas acquirit vires? modo alterat, modo purgat: hinc orta aquarum diviſio in alimentarias ſeu ſimplices & medicatas. Illarum præſtantiores ſunt pluvialis, fontana, fluviatilis; minus ſalubres, putealis, lacuſtris, ſtagnans. Harum penè infinitæ ſpecies, pro innumeris mineralium differentiis: quæ tamen ad duo genera revocantur; ad Acidas ſeu frigidas, & Thermas ſeu ſponte calentes. Thermarum & acidarum ſingulis non eadem vis ineſt.[c] Non omnes, quæ ſunt calidæ, medicatas eſſe credi-

a Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas &c. *Geneſ. c.* 1.

b *Plin. c.* 4. *l.* 31. *natur. hiſt.*

c *Plin. ibid. c.* 6.

deris; [d] Nec decolor species æris argentive, ut multi existimavêre, medicaminum argumentum est; [e] Nec odoris & saporis certa fides; [f] limpiditas insidiosa conditio; plurimæ blandiuntur aspectu aliàs teterrimæ. Certius bonitatis indicium est; partium tenuitas, quâ vias arctiores impeditásque facilè & celeriter permeent, nullâ in ipsis relictâ fœce limosâ aut tophaceâ.

[d] *Plin. ibid.*

[e] In medio prati 30. passibus ab oppido Aquapersa in Arverniâ dissiti juxta collē Mōpensierium fons est odoris expers, sapore acidus, & limpidus; circa quem aves, insectas & quadrupedes animantes, quæ ejus aquam gustaverunt, mortuas jacere, terrāque in ambitu sesquipedali latitudine nullis unquam herbis virescere, observatum est.

[f] *Plin. ibid. c. 2.*

II.

LICET omnia ex igne & aquâ constent, ille non omnibus idem affulget: hinc diversa corporum temperies, & virtus modò hebetior, modò valentior: hinc plantæ, in Meridionali regione, uberioribus & præstantioribus donantur facultatibus: hinc putealis aqua multò deterior fontanâ & fluviatili radiis solaribus illustratis, cursu percussuque ipso extenuatis: hinc fontanarum omnium optima, ex Oriente scaturit, Solis lumine abundè recreata. Aqua suâpte naturâ iners, si movetur, ignis particulis eam huc & illuc flectentibus & impellentibus, acceptum debet, quibus destituta concrescit. Ideo stagnans & lacustris, quantò minus Solis radiis perfusa, tantò majorem parit gravitatem & hypochondriorum tensionem. Acidulæ aquæ, ut pote quæ spirituosâ minerarum substantiâ non æque prægnantes; solvendis contumacissimis obstructionibus non adeo pares, quæ à Thermalibus subtiliori tincturâ imbutis fœliciùs expugnantur. Utræque æstate, vere & autumno securiùs, quàm hyeme, sereno cœlo limpidiores & subtiliores factæ, usurpantur. Si in singulis aquis tenuitas, citáque desideratur & expedita vis agendi, in medicatis potissimùm exoptanda, ne visceribus, metallorum ramenta, terras, succos, salia quibus saturantur, affigant, labem deleteriam allatura; eo ritu quo fluvius per saxa & tophorum asperitates decurrens, lanuginem limosam relinquit: vel ne tophaceâ materiâ superinductâ, quâ tubulos proprios ipsæmet aliquando incrustant & angustant, exiles venas & impeditos meatus corporis obducant & infarciant. Inde siccitas arte nullâ emendabilis, febres, abdominis tensio, dysenteria, aliaque gravissima symptomata pro sedimentorum conditione. Contrà vero ubi aquæ mirâ agilitate & tenuitate sunt præditæ, intimos viscerum recessus pervadunt; si quas in angustias impegerint, commodiùs expediunt, minúsque restagnando minus damnum important. [a] Metallicæ enim omnes duræ sunt, empyreumatis haud expertes, quod eò potentius inurunt partibus, quò diutius moram trahunt. An membris parcituræ, quæ ferrum exedunt rubigine, æs in æruginem, plumbum in cerussam solvunt? Quàm meritò cautum est, ne in usum veniant, nisi prius viscerum saburrâ eliminatâ, ne, interceptâ earum anadosi, novæ ingruant calamitates; quemadmodùm major, ex parciori quàm ex liberaliori Stibiatorum dosi, noxa inducitur, quòd medicamenti morâ & cunctatione latiùs serpat pernicies.

[a] *Hipp. lib. de aëre aq. & locis.*

III.

THERMÆ penè semper in montium radicibus sitæ è terrâ perpetuò prosilientes effervescunt, sive ab igne subterraneo, sive ab accensâ sulphuris vel bituminis exhalatione, sive ex concursu plurium aquarum metallicarum, quæ, licet ad tactum frigidæ, ob salium inimicitias incalef-

cunt. Thermis Europa diffluit; Italia præcipuè; vix ulla etiam regio illis caret; celeberrimæ extant in Galliâ, aliis tamen aliæ salubriores. Inferioris sunt ordinis[a] quæ erumpunt juxtà imum montis aurei in Arverniâ, nitrô fœtæ; [b] Borbonæ in Campaniâ; [c] Aquæ Bigerronum, meliùs, ut alij volunt, Convenarum, ut & Borbonæ, salibus luxuriantes; hæ omnes ad balneum quàm ad ad potum commodiores. [d] Plumbariæ in Lotharingiâ à copiosâ plumbi mixturâ cum alumine sic appellatæ. Sequuntur [e] Bellilucanæ in Galliâ Narbonensi limpidissimæ, quarum sapor ingratus, salsus aliquantulùm, odor bituminis naturam referens: an nervorum affectibus idcircò proficuæ? ad quos maximè prædicantur [f] Baregienses apud Bigerrones. Medio sunt loco [g] Encassienses apud Convenas, & [h] Vichienses in Borbonensi provinciâ. Nullibi gentium tot aquarum scaturigines tam diversæ temperiei & facultatis, quot in Vichiensi agro. Ibi enim emicant frigidæ, calidæ, & junctæ. Calidarum quinque distincti fontes [i] cratis ferreæ, [k] ligneæ, [l] globi quadrati vel magni, & [m] duorum parvorum globorum nominibus insigniti. Fontes cratis ferreæ & ligneæ fundunt aquam clarissimam aciditatis cujusdam, & amaritudinis haud expertem, sulphur redolentem. Nephriticis creditur infensa sive quod multas arenulas devehat quæ tandem in lapillos cõcrescunt, sive quod plurimo abundet sale quoad potum ineptior evadit. Quadrati verò, & duorum parvorum globorum aqua calore non ità exuperat, imò tepida, aciditate majori prædita, cœterum non discrepans ab aliis. Supremi ordinis sunt Borbonienses [n] Anselmienses in Burgundiâ & Augustodunensi agro ad Ligerim fluvium; & [o] Borbonienses Arcimbaldicæ in Borbonio ducatu. Ambas à suis capitibus arcessivisse, ac singulos, qui nunc visuntur, fontes, aut puteos struxisse atque ornasse Romanos, nemo negat. Illas pluris fecisse fatebitur quisquis rupem licet altissimam, ex catheto directè incisam; craterum ex marmore, vel quadrato saxo toreuticè & eleganter cælato, constructorum; aquagij undique quadrario lapide structilis ad quadrantem leucæ porrecti cum tubulis quamplurimis partim plumbo, partim ære ductilibus; & balneorum amphiteatri in modum extructorum lapide, ut existimatur, fusili, ut pote nullis interstitiis discreto, marmore stratorum, & in ambitu sectis marmoreis crustis olim vestitorum, magnitudinem, & miram ac sumptuosam fabricam viderit. Quin etiam haùd multis abhinc annis adeuntium affluentiâ magis celebratas fuisse, norunt ætatis non ità provectæ senes medici. Hanc ipsis prærogativam deberi testantur λεπτομέρεια, ταχυποσία, & καθαρότης quibus cœteras longe superant.

[a] Eaux du mõt d'or en Auvergne.
[b] Eaux de Bourbonne en Champagne.
[c] Eaux de Bagneres dans les confins de la Bigorre & du Commingeois.
[d] Eaux de Plombieres en Lorraine.
[e] Eaux de Balleruc en Languedoc.
[f] Eaux de Bareges dans la Bigorre.
[g] Eaux d'Encausse dans le Cõmingeois
[h] Eaux de Vichy en Bourbonnois.
[i] De la Grille de Fer, Puys roud, & communement la Grille.
[k] La Grille de Bois, Puys Quarré, ou Fontaine des Capucins.
[l] Du gros Boulet, ou du Boulet quarré.
[m] Des deux petits Boulets.
[n] De Bourbon Lancy en Bourgogne dans l'Archevesché d'Autun.
[o] De Bourbon l'Archambaut en Bourbonnois.

IV.

ANSELMIENSIUM septem fontes, [a] primus Limbus dictus, in aulæ limine ad dextram loci partem, pluribus scatebris irriguus, cali-

[a] Fontaine du Limbe.

dus admodùm, ità ut nemo ejus contactum diù innoxiè ferat. Usui non est, præ sordibus in fundo congestis, quæ ne educantur vetat aquæ ex scaturigine erumpentis impetus. Huic fonti innatat copiosa substantia, viridis, unctuosa, digitis contrita facilè cedens. [b] Secundus fons versùs lævam, à vico sancti Leodegadij denominatus. Altiùs rectà procedenti quinque alij fontes sese offerunt, tres primùm obvij propriâ carent nomenclaturâ, [c] sextus Reginæ dicitur, ultimus vocatur [d] Scuresius. Sex postremi ab eâdem fodinâ decurrunt odore, colore, sapore non dissimiles. Fons tamen Reginæ paulò calidior sentitur. Omnium omnino aquæ limpidæ admodùm, nec graveolentes, sulphuris tamèn aliquid & bituminis exhalant, penè insipidæ, vel subamaræ. Evaporatione raram quamdam substantiam albicantem præbent; An nitrum, vel sal commune, vel quid amborum admixtum, in dubio est. Tantæ sunt tenuitatis, ut pelles nullo negotio pervadant, & atro coloratæ à coriariis alteri coriorum faciei affusæ, utrique nigredinem inducant; nec ligneo vase ita contineri possint, quin externa illius superficies madescat. Inter potandum labra ustulant, nullo nihilominùs caloris sensu in palato superstite. Arcimbaldicæ autèm è tribus puteis exiliunt è quibus per plures tubulos in diversa balnea derivantur. Minoris sunt, quàm Anselmienses, caloris; omni extraneo sapore, & odore carent: imò si frigidæ hauriantur, insipidæ; limpiditate etiam pollent: si residere permittas cremor quidam unctuosus supernatat, & in fundo vasorum, quibus servantur, crassus limus subsidet intrà unum, vel alterum diem. Vasculum ligneum haùd permeant, etiamsi non æquè ferveant, ac Anselmienses, in ore caloris vestigium percipitur. Resolutione eandem penè substantiam albicantem deponunt, sed multò densiorem & copiosiorem. Puteorum superficies limô tenaciori & viscidiori, quàm qui in Limbo Anselmiensi conspicitur, circumfusa est. Hic quidem limus matutinô tempore exuperat, jugi haustu quàmvis interdiù moveantur aquæ, nunquàm discutitur.

[b] Source de saint Leger.
[c] La source de la Reine.
[d] La source d'Escures.

V.

THERMARUM præsidio, in cutaneis morbis externisque affectibus, nihil antiquius. An apud majores nostros in potûs usum venerint, claré non liquet: minùs adhuc perspectum an hæc earum bibendarum consuetudo jure vel injuriâ invaluerit; cùm de ipsis earúmque usu non sit unanimis omnium consensus. Quæ aliis audiunt nitrosæ, ab aliis sulphureæ & bituminosæ habentur. Singulis annis, prò variis temporum mutationibus, alienas sortiuntur qualitates; dilutâ ab imbribus terrâ, novæ mixturæ datur occasio. Verùm quantæ ipsis contingunt citrà causam manifestam alterationes? jugi motu huc & illuc exhalationes feruntur, tumultuarióque impetu incertæ ruunt, diversas nactæ dotes prò situ locorum è quibus expirant & quæ percurrunt, & prout magis vel minùs in iis moras nectunt. Quàm fortuitus & temerarius ipsarum se se invicem subeuntium occursus. [a] Sic in Magnesiâ quæ calidæ anteà, illicò frigidæ factæ sunt, aliàs non mutato sapore, & in Cariâ repentè fons antea dulcis, in salem est conversus. Sed esto, eædem permaneant partes, eademque sit mixturæ ratio, earum natura

[a] *Plin. c. 5. lib. 31. natur. hist.*

incomprehenſibilis quacunque adhibitâ arte, etiàm Pyrothecniæ operâ. Dotes enim quibus fœtæ ſunt aquæ medicatæ, vel ab exhalationibus, vel à ſuccis, vel à ſalibus, vel à tertis, vel à lapidibus, vel à metallis admixtis, petuntur. At ejus beneficio hæc non internoſcuntur. An evapotatione & deſtillatione exhalationes, & ſucci præcipuè liquidi & volatiles in conſpectum cadunt? concreti verò ſucci ſedimentum quidem relinquunt ſicut pleraque ſalia, terræ lapides, & metalla: at quot eorum ſpecies quotque diverſæ ipſorum miſcelæ? Præter infinitas quæ aciem oculorum nunc fugiunt, quot nondùm debitam concretionem ſunt aſſecutæ, quaſi vero ſalia ad quatuor primaria genera revocentur vitriolum, alumen, nitrum & ſal commune? Quàm multa ignis vi alienam ſpeciem induunt, vel in auras abeunt in quibus ſæpenumero tota aquarum vis poſita eſt. Verùm etiāſi illarum natura planè innoteſceret, non idcircò tamen tutior earum foret adminiſtratio, ignotâ ſcilicet humorū corpori impactorum indole. Quis eam capit? Numquid ex eorum cum aquis occurſu fermentationes immodicæ pertimeſcendæ, quales obſervantur ex præpoſtero uſu ſalium volatilium, remediorumque chymicorum hactenùs minimè nototum? Reverà quot ſingulis annis corrrepti febribus, diarrhæis, abdominis meteoriſmis, hydrope, nimiæ credulitatis pœnas luunt? Fœlices igitur qui nacti ſunt aptam ſibi aquarum metallicatum naturam. Pauci quos æquus amavit Jupiter. Nec tunc dixeris ſordes viſceribus tenaciter inhærentes inſtar lixivij eluere: quot enim lixiviorum ſunt genera, diſſimileſque edunt effectus pro heterogeneis, quibus referta, quiſquiliis? ſi quæ detergent, alia obſtruunt & concreſcente limo meatus obturant, alia ſecant, alia abradunt, alia adurunt. Quid mirum ſi ſulphureæ aquæ ſpontè calentes, quæ articulorum fluxionibus medentur, intrinſecùs ſumptæ humores torreant & febres bilioſas accendant; ſordium quidem aliquid educunt, ſed magis aliundè nocent. Medici igitur ægros morbi pertæſos deliniant aquarum calidarum diverticulis, hæque ſint ultima artis tunc inofficioſæ Naufragis tabula. Si qui tamen præjudicatâ opinione, vel ruſticationis gratiâ & eundi occaſione, ad Thermas confugiant, non macilenti tabeque conſumpti, ſed obeſi, non æſtuantibus viſceribus, ſed contumaciſſimis infarctibus impediti, neque iis promiſcuè utantur; Non denſæ ſint, ſed tenues, ab omnique topho vel limo immunes; non pigtæ, ſed perviæ, quales Anſelmienſes, ut in hac incertâ adminiſtrandi ratione, minùs cunctando, minorem labem inurant.

Ergo Thermæ Borbonienſes Anſelmienſes minorem noxam inferunt epotæ, quàm Arcimbaldicæ, & Vichienſes.

Aſſerebat FRANCISCUS LE RAT, Sylvanectinus.
A. R. S. H. MDCLXXVII.

PARISIIS,
Apud Franciſcum Muguet, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.